Adspirante Numine Trino

TERTIA

Collegij publici juridici disputatio

Decadem

Positionum ex materia FIDEJUSSIONIS deprompcarum exhibens

Permissu Inclyti Jureconsultorum ordinis sub præsidio

Viri Amplissimi & Consultissimi

Dn. HENNINGI RENNEMANNI


Papæburg. Saxon. Brunsv. D. JCti & Profess. Sen. Consil. Sax. Dec. Dni. Præceptoris ac Patroni sui meritis honoribus piè colendi

Ad diem April. hora 7. Matutina publica disquisitioni subijcietur in palæstra Saxonica

â

Respondente


THEODORICO Nacken.



ERFFURTI

Typis GEORGII HERTZII,

ANNO M. DC. XXXIII.



Thes. I.

Fidejussores omnibus obligationibus accedere possunt.

Humana in symbiosi qvamvis nonnulli reperiantur qvi negotium fidejussionis non solum rei familiari periculosum: ut ex qvo multa 1.
prædia litigantibus obligata dominos suos permutant, & ceduntin altera jura *Parthen. litig. lib. 1. c. 13. n. 35. Hering. in tract. de fidejuss. c. 1. n. 102. & c. 7. n. 203. Horat. lib. 2. Epist. 2.* & non sine dolore multi heredes bona paterna creditoribus relinqvere, & domus paternas deserere coguntur, in qvibus majorum imagines aut non videre fixas, aut sanè 2.
revulsas cernere lugubre est *juxta l. lex quæ tutores. 22. vers. nec verò domum. C. de admin. tut.* Sed etiam contrà rationem & conscientiam; cum fidem suam pro alijs obligare nihil aliud sit qvam dilapidare, & 3.
substantia sua valdè abuti *Jason. in l. contra juris. 28. §. fin. ff. de Pact. Marant. disp. 6. n. 13. Gail. 2. obs. 38. n. 15. Hartm. Hartm. obs. pract. tit. 29. n. 7.* Imò & contra ipsa præcepta divina esse introductum, adserere haud 4.
erubescant, qvorum opinionem seqvitur *Conradus Pellicanus Rubeaqvensis ad c. 6. prov. per c. 11. v. 15. c. 17. v. 18. c. 20. v. 16. c. 22. v. 26. c. 27. v. 13. eod.* cui & alij adstipulantur *per c. 29. Syrac. v. 24. & 25.* ijsqve tandem accedit *Franc. Petrarcha. de remed utriusq; fort. lib. 2. c. 14.* insignis eos, qvi pro alieno debito intercedunt, arguens stultitiæ, dum in hæc verba erumpit: 5.

Ante oculos damnum est si fias sponsor amici,
Pro magno reputes, solverit ille, lucro.

Hisce tamen non obstantibus haud difficulter probandum puto, hunc fidejussionis actum nedum esse honestum & licitū: ut pote sine 6.
qvo hominum commercia subsistere vix possunt. *arg. l. qvod si minor. 24. §. 1. ff. de minor. l. cum plures. 12. §. 1. ff. de admin. & peric. tut.* verum etiam in usu commerciorum, & vita communi omninò pium *Gen. 43.* 7.
v. 9 Luc. 10. v. 35. 2. Maccab. 12. v. 25. Epist. Paul. ad Philem. v. 19. Saluberimū, Christianæq; dilectioni maximè convenientem; *Clariss. Dn. Præs. in disp.* 8.
de abus. forens. pentad. 1. abus. 2. n. 23. & necessarium, cum vix unicum inveniri hominem crediderim, qvi amico egenti pecuniâ credat, si non 9.
ilicò per alium ipsum reddat de solutione securum; nisi iste creditor

 sit ho-

sit homo antiqvæ virtutis & fidei, qvorum semen hoc tempore ferè
eradicatum esse conqveritur *Hering. d. loc. n. 18.* Hinc pro reo princi-
10. pali intercedere solent fidejussores *pr. Inst. de fidejuss.* ita dicti: qvod
fidem suam pro alijs obligent *l. bona fide. 27. §. fin. ff. ad SCt. Vellej. l. Au-*
11. *relius. 28 §. legatum. 6. ff de liber. leg.* & obstringant *l. 1. C. de fidejuss.* sivè
12. accommodent *l. pen ff. si qvid in fraud. patr.* qvi & alibi rei *l. 4 ff. de fide-*
13. *juss. l. 7. §. 8. de dol. mal.* indemnitatis promissores *l. fin. ff. de reb. cred. l. 1.*
14. *C. de conven. fisc. deb. Mantic. lib. 16. tit. 12.* item conditionales debitores
vocantur *Goedd. ad l si ita. 150. de V. S. Althus. lib 1 Dicaeol. c. 86 n. 8* & o-
15. mnibus obligationibus, sivè re, sivè verbis, sivè literis, sivè consensu
contractis *§. 1. Inst. de fidejuss. l. 1. l. 2. l. Græcè. 8. § 1. & §. 6. D. eod.* ex
16. qvacunq; etiam causa, tàm naturali, qvam civili proficiscentibus *l. si*
stipulatus. 6. §. fin l 7. d. l. Græcè §. 3. D. eod. Goedd. de contrah. stip. c. 5 concl. 2.
17. *& c. 8. concl. 6* & non solum præteritis, sivè ante contractis *d l. 1. l. 8. §.*
18. *3. & § 6* sed futuris qvoq; & contrahendis *l. 6. §. fin. d. l. 8 §. 1. & §. 6.*
19. *D. fidejuss. l. non qvemadmodum. 35 ff de judic.* invito etiam & ignorante
debitore principali accedere possunt *l. fidejubere. 30. ff. de fidejuss. l. ex*
mandato. 20. §. 1. D. Mand. l. ait prætor. 3. §. fin. D de negot. gest. adeò, ut et-
20. iam pro obligatione ex delicto, vel qvasi descendente, intervenire
21. non prohibeantur *d. l. græcè. §. sed & si 5. ff. d. tit.* dummodò causa deli-
cti persecutionem habeat pecuniariam *l. de custodia. 1. l. Divus Pius 3. ff.*
de cust. & exhib. reor. Unum tamen casum ab hac regula universali ex-
cipiendum esse Dd. qvamplurimi concludunt *per t. tit. C. Ne fidejuss. vel*
22. *mand dot. dent.* ubi pro dote conservanda fidejussorem nullo modo ad-
mittendum, acriter contendunt, qvorum tamen opinioni subscribere
non placet: Lege enim proditum est, maritum uxori pignus pro dote
23. tradere posse *l. qvod autem, 7. §. si uxor. 6. D. de don. int. vir. & uxor.* cur
24. ergò fidejussorem constituere prohiberetur; cum tamen fidejussor, &
pignus non incommodè æqviparentur *l. promissor. 21. § fin. D. de const.*
pec. ac præterea indubitatum sit, fidejussorem pro muliere dotem pro-
25. mittente intercedentem efficaciter obligari *l. cum dotis. 55. ff. de jur. dot.*
l. fin. C. ad SCt. Vellej. idem igitur locum sibi qvoq; vendicabit à parte
26. mariti fidejussorem offerentis; cum nulla hic diversitatis subsit ratio
l. 1. §. jubet. 9. de coll. bon. l. ergò. § addici. § de fideicom. libert Fachin. lib. 8.
contr. 76. nec ulla lex fidejussionem hanc expressè interdicat: Sed so-
27. luto demum matrimonio illa singularem utilitatem, & efficaciam se-

cum importet *l. si constante. 24. §. qvoties. 2. ff. solut. matrim. l. exceptiones. 7. in pr. de except. l. un. §. cum autem. 7 C. de rei ux. act.* & publicè interfit, mulieres dotes suas ut habeant salvas *l. 1. ff. solut. matrim. l. 1. & l. 2. de jur. dot. Hoen in qvæst. ad Inst. disp. 15. contr. 4.* ideò contra utilitatem publicam hancce fidejusfionem leges prohibuisse non videntur: nec 28.
obstat *Rubr. C. Ne fidejuss. vel mand. dot. dent.* illa enim generaliter non 29.
est prohibitoria, sed tantum id inhibet, ne mariti fidejussores servandarum dotium exhibere sint compellendi, qvod satis evidenter probat *l. 2. C. d. tit.* & licet ad præstandam fidejusfionem, tanqvam causam in connubio perfidiam generantem *d. l. 2.* cogi neqveant. huic tamen 30.
dispositioni legum favore nixæ, tanqvam privilegio pro se introducto qvin renuntiare posfint, nullus dubito *l. sed & si quis. 4. § fin. ff. si quis caut. l. pen C. de pact.* multa siqvidem ab initio peti non posfunt, qvæ 31.
tamen si spontè obserantur, neqvaqvam sunt reprobanda *l. cum illud. 25 §. 1. ff. qvando dies leg. arg d. l. Græcè. §. á tutore. ff. de fidejuss. pr. Inst. de satisd. tut. Arumæus disp. ad ff tas 15. thes. 14.* & hæc opinio locum etiam 32.
habet de jure Canonico *per c. vestras literas. Extr. de don. int. vir. & uxor.* Dissent. *Menoch. de præsumpt. lib. 4. præs. 190. n. 43. Cujac. ad Afric. tract. 4. ad l. vir uxori. 17. §. si mulier. ad SCt. Vellej & in parat. C. Ne fidej. vel mand. dot. den. Goedd. de contr. stipul d. c. 6. concl. 25. n. 360. & seqq. Heig. ad §. in omnibus. n. 3. & 4 Inst. de fidejuss Fachin. lib. 8. contr. c. 76. VVesemb. ad d. §. in omnibus. Treutl. vol. 2. disp 7. thes 4. lit. b.* 33.

Thes. II.

FIdejussor pro majore summa qvam in principali fuit obligatione fidem suam interponens, ultrà eam non tenetur.

In dubia hac & à Dd. variè agitata qvæstione non una omnium est sententia: In majorem summam, qvam qvæ in principali fuit obligatione, ipsum qvoq; esse obligatum, voluit *Bart. in l. si á reo. 70. §. pen. l. si quis pro eo. 56 colum. 5. Angel. & Imol. in l. bi qui 34. §. pen. D. de fidejuss.* 34.
qvorum tamen traditio ratione vix nititur: Cum enim fidejusfio principalis obligationis sit accesfio *§. fidejussores. 6. Inst. de fidejuss.* nec plus 35.
esse posfit in accesforio, qvam fuit in ipso principali *d. § 6. l. bi qv. 134. ff. h. t.* ideoq; deficiente principali meritò qvoq; deficiet accessorium 36.
37.

 l. cum

38. *l. cum principalis. 178. de R. J. l. rogatus. 33. ff. mandati.* etiamsi juramentum
intervenerit *Vasq. illustr. contr. c. 40 n. 7.* Alij fidejussorem hoc modo
acceptum, nec ad summam excedentem, nec etiam concurrentem,
39. obligatum, & sic fidejussionem hanc ut prorsus invalidam repudiantes, pro confirmanda sua adsertione adducunt *§. fidejussores 5. Inst. de fidejuss l. Græcè 8. § illud. 7. junct. gloss. D. eod.* ubi ex verbis omnino non
40. obligari hujus negotij nullitatem extorqvere conantur, qvæ tamen verba salvâ lectione legis retentâ commodius ita intelligi possunt, ut pro omnino non dicamus non omninò, sivè non in solidum *secundum Mynsing. ad d. §. fidejussores Inst. d. tit. Alciat. 5. pareg. 17. & Gothofr. ad d. l.*
41. *Græcè. ff. de fidejuss.* negatio enim illa postposita signo universali non semper æqvipollet suo contrario, ut patet ex *l. si servus. §. si plurium. ff. si qvis caut.* Dissent. *Hoen. in qvæst. ad Instit. d. disp. 15. controv. 11. Mantic. de tacit. & ambig. convent. lib. 16. tit. 9. n 2.* Ex his autem contrarijs Dd.
42. opinionibus, qvarum utraq; minus favorabilis videtur, alij aliam tandem conclusionem desumunt, qva fidejussorem in concurrentē summam rectè obligatum asserunt, qvam etiam ut æqviorem reliqvis præ-
43. ferendam puto *per text. express in l. rogatus. 33. D. Mandati. l. 1. §. 4. de V. O. l. hactenus. 11. in fin. ff. de constit. pecun.* Qvia is qvi pro majori summa
44. sese obligavit, in minorem qvoq; consensisse censetur *l. diem proferre. 27. §. si plures. 3. ff. de recept. arb. l. cum furti. 9. ff. de in lit. jur. l. si ita. 109. ff.*
45. *de V. O.* cum sub majori summa semper etiam comprehendatur minor *d. l. 1. §. 4. l. si unus. 27. §. si cum decem. 5. D. de pact.* unde eleganter notat *Petr. de Bella Pert. in d. l. græcè. §. 7. D. h. tit.* si illud qvod continetur in
46. obligatione fidejussoria, reperiatur qvoq; in principali, tunc fidejussorem demum ad ejus præstationem esse adstrictum: cum hunc saltim in finem obligatio talis ita concipiatur, ut creditor eò certius sibi persuasum habeat, fidejussorem in majori summa reo principali gratificari non recusantem, in minori multò magis id præstare fuisse paratū
47. *VVesemb. in parat. de fidejuss. n. 5. d. §. fidejussores Inst. eod. Vasq. illust. contr. c. 40. n. 5. Decius in l. in eo qvod plus. 110. n. 10. de R. J. Gomez. variar. resol. c. 13. n. 2. Treutl. volum. 2. disp. 28. thes. 4. lit. 6.* Dissent. *Franc. Connan. lib. 6. comm. c. 6. n. 8. Goedd. de contr. stip. p. 306. concl. 4. n. 75. & seqq. Hoen. d. disp.*
48. *15. controv. 11. Fachin lib. 8. contr. c. 51.* Utut autem hæc se habeant, arctius tamen & efficacius fidejussor ad eandem causam qvam ipse principalis obligari potest *l. 2. C. de fidejuss. minor. Franc. de fidejuss. c. 3. n. 7. & seqq. & c. 4.*

& c. 4. n. 106. & seqq. VVesemb. in parat. h. tit. n. 5. Althus. d. c. 86. n. 14. nam fidejussor soli qvoq; obligationi naturali accedere *l. fidejussor. 16.* 49. *§. fidejussor. 3. D. de fidejuss.* non tamen sine stipulatione, qvæ est juris ci- 50. vilis *§. de constituta. 10. Inst. de act. Vult. lib. 1. Jurispr. Rom. c. 39. in pr.* obligari potest *l. 16. §. 1. l. 44. ff. de fidejuss. l. blanditus. 12. C. eod. l. 5. §. fatuac-* 51. *ceptio. D. de V. O.* & sic naturaliter & civiliter simul obligatur, cum 52. principalis naturaliter tantùm fuerit obstrictus *Mant. lib. 16. lit. 9. n. 9.* vel potest fidejussio talis fieri cum hypotheca *l. creditori. 2. l. omissis. 17.* 53. *l. pignoribus. 25. C. de fidejuss.* & interposito juramento fidejussoris, qvod 54. tamen contractui adjectum nunqvam operatur, ut iste contractus degeneret, vel fidejussor in plus, qvam ipse principalis obligetur: sed eundem in forma & natura sua efficaciorem saltim & firmiorem reddit *l. fin. C. de non numer. pec. Vasq. Illust. controv. d. c. 40. n. 7.* vel etiam 55. cum instrumento paratam executionem habente *Bart. in l. hi qui. 34.* 56. *n. 11. D. de fidejuss. Bald. in l. si pro ea. 10. n. 6. C. mand. Gomez. tit. de fidejuss. n. 7. Gail. lib. 2. Obs. 29. n. 12.* aut adjectione pœnæ alicujus vel facti 57. *gloss. in l. sicut. 65. in fin. D. h. tit. VVesemb. in parat. eod. n. 5.*

THES. III.

FIdejussoris obligatio ex mora rei principalis non augetur.

Qvia in contractibus potissimum ad tempus contractæ obligatio- 58. nis est respiciendum *l. Rutilia. 69. ff. de contrah. empt.* fidejussor autem pro debito aliqvo simpliciter interveniens in aliud, vel plus, qvam qvod tempore intercessionis revera debitum fuit, sese obligasse non 59. præsumitur *l. per retentionem. 4. & l. pignoribus. C. de Usuris. Coras. lib. 2. Miscell. 12. Franc. Connan. lib. 6. comm. c. 7. Cujac. in l. 117. D. de V. O. & in tract. ad Afric. in l. centum Capuæ. D. de eo quod cert. loc. Vult. ad §. fidejussores. Inst. de fidejuss. n. 4. & seqq. Hyppol. de Marsil. in tr. de fidejuss. n. 91. & seqq.* nisi nominatim, & expressè in usuras *l. 10. C. de fidejuss.* vel pro negotij 60. qvalitate & conditione in omnem causam: cujus nomine omnis ve- 61. nit utilitas, qvæ ex re aliqva percipi potest *arg. l. præterea. D. de rei vind.* 62. *l. pen. §. pen. D. si usufruct. pet. Mant. d. lib. 16. tit. 14. n. 23. & n. 26* sese obligaverit, tunc enim sibi ferat acceptum, qvod ab initio hanc legem contractui dixerit *d. l. fidejussores. 68. §. 1. D. de fidejuss. l. 2. §. pen. ff. de ad-* 63. *min. tut.*

min. ter. ad civit. pertin. Duar. *de eo qvod cert. loc. c. 4.* Donell. *ad l. 8. eod. tit.* Hinc peculiari Lubecensium statuto *lib 3. tit. 5. § 1.* expreßè ita cau-
64. tum legitur: Wird einer zum Bürgen gesetzt vor schuld auff gewisse zeit/ der Bürge muß auff den fall der nicht haltung die schuld bezahlen/ vor den schaden aber darff er nicht antworten/ sondern der Principal muß denselben gelten/ vnd richtig machen/ es were dann ein anders außtrücklich pacisciret vnd bedinget: ideoqve pro majori cautela qvicunq; actionis aut negotij alicujus nomine in-
65. tercedit, si in omnem causam teneri nolit, taxationem certam addere potest, ultrà qvam se teneri nolle expreßè profiteatur *l. initio. 5. C. de pact. int. empt. & vend. l. si mandator. 8. C. qvod cum eo. l. veteribus. 39 ff. de pact. l. qværo 54. ff. Loc.* Coler *de process. execut. p. 1. c. 10. n. 309.* cum & na-
66. turalis suadeat æqvitas, ut unicuiq; propria noceat mora *l. in condemna-tione. 173. §. unicuiq; de R. J. l. cum procurator. ult. ff. de fidejuss l. libertus.*
67. *17. §. fin. D. ad municip.* nec alterius facto prægravetur is, qvi nihil commisit *l. de pupillo. 5. § 5. D. de oper. nov. nunt.* Sicut nec ad aliud qvodpiam augmentum, qvod accessoriè venit ad principalem obligatio-
68. nem, est adstrictus: veluti si principalis ad pœnam aliqvam sit condemnandus *l. fin. D. de fidejuss. d. l. fidejussores. eod. l. 1. ff. de in lit. jur. l. pignoribus. C. de Usur.* Joan. Andr. *in addit. ad Spec. tit. de fidejuss.* Hyppol. *de Mars.*
69. *d. tr. n. 91.* qvia fidejussores non aliter possunt obligari nisi stipulatione, seu verbis, qvod non nisi utroq; loqvente, & alterutro ad interrogationem directè respondente fieri potest *l. 1. in pr. ff. de V. O. l. blanditus. 12. C. de fidejuss l. si verò non remunerandi 17. §. 14. D. mand.* effectus autem
70. stipulationis præsentis ad futura non est extendendus *gloss. in l. damni. 18. §. si is qvi. 5. de damn. inf. l. qvicqvid. 99. de V. O.* propterea haud convenienter fidejussorem ad id, cujus tamen in stipulatione facta non
71. erat mentio, obligatum esse statueretur: veluti si ex forma statuti pro vulnere sit pœna centum, & pro homicidio mille: post formatam inqvisitionem contra Titium de vulnere, pro qvo fidejusserat sejus judicatum solvi, pendente processu vulneratus decesserit, hîc sanè fidejussor non nisi in centum erit condemnandus, & hanc opinionem pluribus rationibus illustrat ac seqvitur Hypp *de Mars. d. tr. n. 91. & seqq.* non attentis dissentientium argumentis *per l. 17. D. ut leg. nom. cav. l. 56. §. 2. D. de fidejuss. l. 2. § fin. D. qvi satisd. cog. l. 2. ff. in quib. cau. pign. vel hypoth. tac. contr. l. 56. §. 2. D. de fidejuss. l. 10. ff. rem pup. salv. for.* ad qvæ eleganter & latè respondet Hering. *d. tr. c. 24. n. 152. & seqq.*

THES.

THES. IV.

Fidejussor pro debito pecuniario vel civili intercedens etiam ad carceres ſeſe obligare poteſt.

Qvamvis, cum nemo membrorum ſuorum ſit dominus, non poſſit
ſe qvispiam obligare ad pœnam corporalem l. liber homo. 13. in pr. ff ad 72.
L. Aqvil. nec ad torturam d. l. 13. l. item qvod. 15. §. qvæſtionem. 41. D. de in- 73.
jur. VVeſemb. in parat. de fidejuſ. n. 4. lit. D. & propterea nec valeat fide-
juſſio, de ſiſtendo aliqvem ſub pœna corporali Bart. in l. 4. ff de cuſt. & 74.
exhib. reor. Angel. in tract. malef. ad verb. pro qvibus fidejuſſor. in pr. nec con-
ventio, per qvam ad manus, vel alterius membri amputationem qvis 75.
ſe obligat Bald. in tit. de pace conſtant. in §. damna. n. 4. Borcholt in § juris
præcepta. 4. Inſt. de Juſt. & jur. Sed talem obligationem ineuntes, meritò 76.
homicidæ ſui, & conditoris creaturarum inimici ſint dicendi Guido
Pap. deciſ. Grat. qvæſt. 278. Exinde tamen non eſt concludendum, qvod
nec ad carceres qvis ſe poſſit obligare, præſertim cum carcer non tàm
habeatur pro pœna, qvàm pro cuſtodia l. aut damnum. 8. §. ſolent. 9. D. 77.
de poen. l. un. C. de priv. carc. inhib. Menoch. lib. 2. arbit. caſ. 305. Althuſ. lib. 1.
Dicæol. c. 98. n. 257. & lib. 3. c. 49. n. 29. Hartm. Hartm. obſ. tit. 45. n. 5. &
ex permiſſione legis qvilibet per magiſtratum incarcerari qveat l. 1.
in fin. C. qvi bon. ced. poſſ. l. nemo. C. de exact. tribut. l. ait Prætor. 10. §. ſi de- 78.
bitorem. 16 ibi Bart. & alij. ff. qvæ in fra. cred. l. ſi fidejuſſor. 7. §. ſi ſatisdatum 2.
D. qui ſatisd. cog. Maximè ſi ad id ſolenniter ſe obligaverit, qvia tunc ipſi
ita volenti & conſentienti nulla videtur fieri injuria l. 1. §. usq; adeò. 5.
ff. de injur. l. ſi qvis. 29. C. de pact. l. pactum inter heredem. 46. D. eod. God. con- 79.
ſil. 105. n. 55. & n. 64. Imo nihil magis bonæ fidei eſt conveniens, qvam
id præſtari, qvod inter contrahentes eſt actum l. ex empto. 11. §. 1. de act. 80.
empt. l. 1. in pr. ff de pact. Talis obligationis naturam ſapiebant olim pa- 81.
cta obſtagij, vulgò dicta, die leiſtung/ oder leiſtmahnung/ qvorum uſus hic
fuit inter nobiles Germaniæ non infreqvens, ut ſi pacta conventa ſua
obligatione obſtagij non ſervarent, debitores, vel eorum fidejuſſores
interpellabantur literis creditorum, ut ſe juxta obligationis formam,
loco & tempore convento ſiſterent, non receſſuri, donec promiſſis
ſatisfeciſſent: non ſiſtentes ſe, famoſis picturis ubiq; affixis mirabili-
ter traducerentur: qvæ eqvidem conſtitutionibus Imperij primò ad-
probata Ord. Polit. de an. 48. tit. von wucherlichen Contracten §. fin. & multis 82.

83. præjudicijs confirmata: postea verò propter nimium abusum & scan-
dala publica, novissima *Imper. Constit. de an 77. tit. 17.* omnino sublata &
84. immutata tradit *Gail. lib. 2. de P.P. cap. 2. n. 6. & lib. 2. obs. 45. per l. succurri-
tur. 9. & l. seq. l. nec non. 28. §. 1. ex qvib. cau. maj. Myns. cent. 6. obs 51. VVesemb.
in parat. d. tit. n. 5. God. consil. 103. à n. 59. usq; ad n. 69. Vasq. de success. & ult.
volunt. lib. 3. §. 22. n. 81. Coler. de process. execut. part. 1. c. 8. n. 88. & seqq.*

Thes. V.

Fidejussor renuncians beneficijs fidejussorum ante reum principalem rectè convenitur.

De jure veteri creditori liberum erat etiam ante principalem reum
fidejussorem convenire, & ab eo debitum exigere, eoq; non satisfaci-
85. ente ad alium, donec totum id qvod sibi debitum erat, conseqveretur,
transitum facere *l. 4. in pr. ff. l. 3. in pr. l. 5. l. 23. C. de fidejuss. Goedd. de contr.*
86. *stip c. 9. n. 95.* Hodiè verò fidejussor tribus potissimum beneficijs, ex
singulari æqvitate & commiseratione sibi indultis, anteqvam pro alio
87. solvat, uti potest: qvorum primum est Excussionis, qvo principalis
debitoris bona excuti, & inde solutionem fieri petit *Nov. 4. c. si qvis igi-*
88. *tur. 1. junct. auth. præsente. C. de fidejuss.* Alterum est Divisionis, seu Epi-
stola D. Hadriani, qvo creditor cogitur actionem dividere, & â singu-
lis ratam partem petere, modo litis contestatæ tempore omnes sint
89. solvendo *§. si plures 5 Inst. de fidejuss. si enim* eorum qvidam solvendo
90. esse desierit, ex eo cæteri onerantur *d. §. 5.* Tertium beneficium est
cedendarum actionum: qvo creditor fidejussori solvere parato acti-
ones suas adversus confidejussores, ad repetendum illud, qvod pro ijs
solvit, cedere tenetur *l. cum alter. 11. C. de fidejuss. l. ut fidejussor. 39. D. eod.*
91. Qvibus beneficijs num velit uti, an vero renuntiare *duob. priorib. 91.*
in ipsius arbitrio est positum. Renunciatione enim facta ijsdem se tu-
eri velle non præsumitur, & propterea ante reum principalem rectè
92. convenitur *c. qvam periculosum. 7. qvæst. 1. c. ad Apostolicam. Extr. de regul.
& transc. Spec. in tit. de renunc. & concl. §. 1. vers. viso de beneficio n. 18. & n. 24.
Hipp. de Mars. d. tr. n. 7.* Hisce autem renuntiasse censetur, si qvoad di-
ctorum beneficiorum primum sese tanqvam principalem debitorem,
93. Als einen selbstschuldener/ obligaverit *Georg. Schultz in synops. Inst. Imper. de
fidejuss. lit. c. Mant. d. lib. 16. tit. 17. n. 4.* qvam tamen formulam obliga-

tioni

tioni fidejuſſoriæ inſertam alij qvam plurimis diſtinctionum ſubtilitatibus 94.
tibus nimiis obſcuram reddunt: ſufficiat verò nobis ipſi hoc in negotio
tantam vim & efficaciam eſſe, ut nec propriè fidejuſſor appelletur is,
qvi tanqvam principalem debitorem ſeſe conſtituit, & proprio nomi- 95.
ne, non in eventum dilatæ, vel non factæ per principalem ſolutionis
ſe obligat pro alieno debito, faciens ex eo caſum proprium *Cravet.*
conſ. 272. n. 13. verſ. tertio reſpond. ſatis enim manifeſtum eſt reum princi- 96.
palem & fidejuſſorem non eſſe unum & idem *l. reos principales. 23* C. *de*
fidejuſ. nec [illegible]um qvi tanqvam principalem ſeſe obligavit propriè fide- 97.
juſſorem manere: cum qvod fæda nominum & rerum confuſio non 98.
ſit introducenda *l. fin. C. de legit. tut. l. ſi is qvi. 13. §. utrum. 3. ff de reb. dub.*
l. fin. eod. tum qvod difficile & inconveniens ſit, ut unus homo, in una 99.
& eadem cauſa, unoq; reſpectu duorum vicem ſuſtineat *gloſs. in verb.*
finita. in l. fidejuſſoris. C. de fidejuſ. & in l. ſi plures. 9. ff. de pact. arg. l. pupillus.
5 §. item ipſe. 2. ff. de auct. & conſ. tut. l. ult. ff judic. ſolv. l. Titiæ. 200. ff. de
condit. & demonſt. l. ille a qvo 13. §. pen. ff. ad SCt. Trebell. nec qvoq; dicen-
dum erit verba illa: Conſtituo me principalem: dicis tantum gratia 100.
fuiſſe adjecta, qvod prorſus eſſet iniqvum, & *ἀσύστατον.* Iniqvum,
cum captioſa fallacia à jure noſtro expreſſè improbetur *l. cum Aqvili-*
ana. 5. ff. de tranſact. l. qvoties. 59. de V. O. l. Paulus. 8. ff. de Præt. ſtip. l. ſi rem. 101.
41. ff. de Vſuc. l. ſi uxori. 39. in pr ff. de aur. & arg. leg. l. 5. C. ad SCt. Vellej. l.
fin. C. de pact. int. empt. & vend. *ἀσύστατον*: qvia nimis abſurdè diceretur, 102.
principalem ſe conſtituere, ſed non principaliter obligari, qvi tamen
ejus jure, in cujus locum per voluntariam ſtipulationem ſuccedit, me-
ritò debet uti *l. qvod ipſis. 143. l. qui in jus. 177. de R. J.* ac indubitati inſu-
per juris eſt, omnibus obligationibus conventionalibus per pacta ſua 103.
legem ac formam contractui dare contrahentes *l. 1. §. 6. ff. depoſ. l. in*
conventionalibus 52. ff. de V. O l. 3. §. 1. de jur. dom. impetr. nec cuipiam li-
cere adverſus pacta ſua venire, & contrahentes decipere *l. ſi qvis in con-* 104.
ſcribendo 51. C. de Epiſc. & cler. l. pen. C. de pact. Hancq; ſententiam non
ſolum in praxi communiter obſervari, ſed etiam ſecundum eam, ut æ- 105.
qvitati magis amicam in Camera Imperiali multos ante annos judica-
tum fuiſſe, teſtatur *Gail lib. 2. Obſ. 28. n. 6. Hering d. tr. c. 27. n. 121. & ſeqq.*
qvod tamen de jure Saxon. non ita ſimpliciter procedit. Eo enim licet
fidejuſſor tanqvam principalem debitorem ſeſe obligaverit, per hoc 106
tamen beneficiũ excuſſionis non amittit, niſi inſuper & huic expreſſè

& in specie renunciaverit *Joh. Cöppen. lib. 2. Obs. 31 n. 11. circ. fin. Const.*
107. *Elect. Aug. Novell. 18. part. 2.* Secundo, nempe Divisionis beneficio fide-
jussores renunciasse dicuntur, si plures eorum ita se obligaverint:
Daß geloben und gereden/ wie vorbemelte Bürgen sämptlich/ und ein jeder be-
sonders/ daß einer für alle/ und alle für einen/ mit einer gesambten und ungeschie-
denen Hand hafften/ und zahlen/ und sich keiner mit dem andern behelffen sol
per ea qvæ tradit *Hering. d. tr. c. 17 n. 150.* cui in effectu non absimilem
108. hanc qvoqve subjicit clausulam: Wofern auch einer unter uns gemahnet
würde/ so sollen und wollen wir alle gemahnet seyn/ und keiner mit seiner quota
oder anpart außziehen/ noch einer auff den andern weisen/ sondern ein jeder für die
109. gantze Summa hafften. Ex qvibus apparet hoc beneficium semper plu-
rium confidejussorum concernere personas, & qvidem tales, qui in
eandem summam sese obligaverint: nam licet pro uno debitore prin-
110. cipali, pro diversis tamen summis, plures fidejussores intercesserint,
confidejussores dici non possunt, nec beneficio hoc divisionis ullo
modo gaudent *l. si á Titio. 43. l. inter eos. 51. §. duo. ubi Bart. de fidejuss.* Præ-
111. dictam renunciationis clausulam impugnat *Daniel Moller. in comment. ad
Const. Elect. const. 17. part. 2.* ubi verba illa Einer für alle und alle für einen/
non modo inutilia & superflua, sed etiam nullius omnino efficaciæ
112. arguit: cum tamen communi qvasi stylo sit receptum ut per illa huic
beneficio expressè renunciatum censeatur, idq; in judicando etiam
ita observetur *Hering d. tr. c. 17. n. 54. & seqq. & c. 27. n. 73.* Imò hanc i-
113. psam opinionem jure qvoq; Saxon. magis esse receptam, & secundum
eam in Juridica facultate Jenensi aliqvando pronuntiatum, testetur.
Coler decis. 220 n. 42. Georg. Schultz in synops. Inst. Imp. de fidejuss. lit. C.
Tertio, cedendarum scilicet actionum usus in eo potissimum consistit:
ut fidejussor ante solutionem, re adhuc integrâ, â creditore petat, ut
actionibus, qvæ ipsi contra principalem debitorem & confidejussores
competebant, cum instrumentis principalis debiti, & omnibus aliis
114. qvalitatibus, cedat, hunc in finem, ut habeat regressum ad reum prin-
cipalem, suosq; confidejussores *l. cum alter. 11. C. de fidejuss. l. ut fidejussor.*
115. *39. D. eod,* factâ namq; solutione inter fidejussorem solventem, & reli-
116. qvos confidejussores nulla superest obligatio: qvæ tamen mater est
actionum *l. licet. §. ea obligatio. ff. de procur.* per qvam fidejussor solvens
ab iis pro qvibus solvit, aliqvid repetere possit: cum solutione unius
117. cæteri qvoq; omnes liberentur; *arg. l. Modestinus 76. ff de solut. & liberat.
l. si mandatu. 13. l. 15. l. 36. ff. de fidejuss. l. Stychum §. si creditor ff. de solut. l.*
Papini-

Papinianus 28. *l. qui mandatum*. 43. *D. Mand.* nec sufficit ut fidejussori ce-
dantur actiones verbotenus, sed præterea opus est, ut exhibeatur in-
strumentum principalis debiti, si modo creditor id penes se habeat, 118.
nam si juret se amisisse, & simul cedat actionibus meritò est audien-
dus. *Franc Marchis. quæst. 390. part. 2.* aliàs fidejussor solutionem com-
modè denegare potest *Bald. in l. si nomen. ff. de hæred. vel act. vend. Alex. in
l. secundum, in 2. colum ff. de V. O. l. sicuti. 21. C. de fidejuss. Schneid. ad* §. *si
plures. n. 23. Inst. eod* creditor verò, si fidejussori solvere parato, actio-
nes cedere nolit vel culpâ suâ non possit, ab agendo prorsus debet re-
pelli *Dd in d. l. cum alter. C. de fidejuss. l. Stychum. 95.* § *pen. ff. de solut. &* 119.
lib. Hering. d. tr. c. 27. part. 3. n. 12. & seq. Ceterum hoc beneficium nec
fidejussori prodest, si fidejussorem se esse negaverit, & de mendacio
fuerit convictus *arg. l. sed hoc ita. 22.* §. *1. ff. de re jud. Hypp. d. l. n. 324.* Item 120.
si pater jusserit filiofamilias credi pecuniam *Boer. decis. 221. n. 11.* Dantur
& alij speciales casus, hoc beneficium non admittentes, de qvibus vi- 121.
dere licet *Hering. d. tr. & 27. part. 3. n 19. & seqq.* Ex prædictis verò non
minus dubia oritur qvæstio: Ecqvid hic generalis sufficiat renuncia- 122.
tio, an verò expressa & specifica reqviratur? Sunt qvi prius affirmant,
moti potissimum eâ ratione, qvod tantum operetur renunciatio ge- 123.
neralis qvoad omnia, qvam specialis, qvoad speciatim enumerata *l. si
duo. 51. ff. de admin. tut. l. si chorus. 79. in pr. de leg. 3. l. omnes. C. de præscript. 30
vel 40. ann. Boer. consil. 30. n. 13. Tiraq. in l. si unqvam. in præf. n. 117. & n. 121.
C. de revoc. don.* Posterius tamen affirmantium opinio magis amplectenda
da videtur: cum, qvod contrahentes à verbis generalibus omninò sibi 124.
cavere debeant, ne ex effuso sermone in periculum incidant *l. fin. in
fin C. de dot. promiss.* tùm qvod multò tutior & humanior priore adpa- 125.
reat, teste *Tiraq. d. præfat. n. 132. C. d. tit.* & secundum eam Dominos Ca-
merales sæpissimè pronunciasse tradat *Coler. decis. 220 n. 41 Georg. Schultz* 126.
in fin. Inst. Imp. d. tit. lit. c. qvã etiam comprobavit *Elect. Sax. Aug. d Const.
Nov. 17. part. 2.* §. Damit aber, ubi disponit: Daß in solchen fällen eine außtrück- 127.
liche verzicht vnd specificirte renunciation erfordert werde. Specialiter ta-
men renunciasse qvoqvè censentur, non solum si renunciatione spe-
ciali in forma consveta, sed etiam, si verbis in effectu idem importan-
tibus, subjecta generali renunciatione omniũ beneficiorum sibi com-
petentium, usi fuerint, qvia tunc satis de intentione partium constat, 128.
per ea qvæ supra dicta sunt *n. 107. & seq.*

THES. VI.

Fidejussorem minus idoneum accipiens eum approbasse videtur, & propterea ulteriorem cautionem petere non potest.

129. Pro alijs fidejussores intervenire possunt omnes ij, qvi aliàs promittendo efficaciter obligantur *Azo in summa. lit. C. de fidejuss. in pr. Trentl.*
130. *vol. 2. disp. 28. thes. 2. lit. a. Goedd. part. 3. disp. 11. thes. 3.* sivè patres familiar. sint sive filijfam. nam & filiumfamilias pro patre etiam fidem su-
131. am interponere posse constat ex *l. si dubitet. 10. § 1. ff. de fidejuss. l. filius familias. 8. C. eod. l. 2. §. 3. ff. qui satisd. cog. l. 1. in fin. C. de filiofam. min. l. si ex*
132. *alio. 9. C. qvod cum eo.* Contrâ veró qvibus non est jus stipulandi, ijs nec
133. est potestas fidejubendi: qvorum qvidam vel specialiter prohibentur lege, vel ut minus idonei recusantur. Prohibentur lege, Mulieres
134. qvæ licet aliás proprio nomine contrahendo efficaciter obligentur. *l. 8. §. 1. l. 5. l. 6. ff. l. 2. l. 4. l. 10. & l. 13. C. ad SCt. Vellei.* ob sexus tamen imbecillitatem autoritate SCti vellej. pro alijs intercedentes illæsæ ser-
135. vantur; *t. tit. ff. & C. ad SCt. Vellej. l. 3. l. 48. in pr. ff. de fidejus.* item Milites
136. qvi ideò hoc fruuntur privilegio, ne omisso armorum usu â militiæ studio avocentur *l. milites. 31. C. locati. l. 8. §. 1. D. qvi satisd. cog.* eoq;, ut
137. & reliqvis militibus Romanis concessis privilegijs, milites etiam nostri temporis gaudere puto, per ea qvæ tradit *Christoph. Hensch. in method. tract. de privil. thes. 38. Jason. in l. licet. 19. C. de pact. Cacheran. decis. 100. n. 49. Gail. 2. obs. 118. Obrecht. de discipl. milit. n. 84. & seqq.* qvod tamen non indistinctê ad omnes omninò castra seqventes, & ociosos milites,
138. sed eos duntaxat qvi de publico conducti sunt, & hostium periculo obnoxij rectê restringit *Gail. d. Obs. 118. n. 17.* Servi, extra causam pe-
139. culiarem *l. servus. 19. D. de fidejuss. l. cum qvis. 38 ff. de pecul. l. 2. ff. de solut. &*
140. *liberat.* Tanqvam minus idonei recusantur, Pupilli & minores, absq; consensu tutorum & curatorum: utrobiq; enim restitutionis periculum est subtimescendum *l. ait Prætor. 7. §. 9. de minor. l. 3. C. de restit. min.*
141. *l. 1. C. de filiofam. min. l. 49. ff. de fidejuss.* Furiosus: qvia nullum negotium
142. gerere potest. *l. si à reo. §. si à furioso ff. de fidejus. l. 5. D. de R. J.* nulla enim
143. ejus est voluntas *l. furiosi. 40. de R. J.* nullusq; consensus *l. 2. C. de contr. empt.* Mutus & surdus: qvia iste verbis respondere stipulanti neqvit;
144. hic verò stipulantis verba non exaudit *§. mutum. 8. Inst. de inutil. stip. §.*

item surdus. Inst. qvib. non est permiss. fac. test. qvorum tamen utrumq; in 145.
stipulatione necessariò reqviritur *l. 1. §. ult. de O. & A. l. 1. ff. de V. O.*
Prodigus: qvi neq; finem, neq; tempus expensarum habet *l. 1. C. de cur.* 146.
furios. vel prod. ideoq; parum â furioso differre perhibetur *l. 40. D. de R. J.* 147.
Ebrij: qvi planè ex homine fieri videntur vel pecus, vel saxum, lo-
qvi & nescire qvid loqvantur: qvi totos dies bibendo nihil præcipuū
& grave habent in animo, sed pleni sunt gaudio & socordia *Polyb. lib. 8.*
pag 536 ac sæpissimè dum in exsiccandis poculis alios vincere conan- 148.
tur, tantum liqvoris attrahunt, ut pro importandis urceis ipsi expor-
tentur nec amplius erecti valeant ingredi *Hering. d. tract. c. 7. n. 132.* 149.
Qvibus etiam adnumeratur Procurator litigiosus: qvippe ab hoc, ut
calumnias praxeos & fori anfractus experto difficilius pecuniam, 150.
qvam ab Hercule clavam qvis extorserit *Petr. Rebuff. in l. si ita stipulatus.*
col. 4. ff. de verb. sign. Hypp. de Mars. d. tr. n 257. Parth. litig. lib. 1. c. 9 n. 31. He-
ring. d. l. n. 590. & hisce similes, qvi fori aliqva præscriptione uti possunt 151.
arg. l. 2. qvi satisd. cog. fidejussores enim non tàm facultatum abundan-
tia, qvam conveniendi facilitate idoneos esse oportet *l. 3. ff. de fidejuss.* 152.
l. fidejussor. 2. ff. qui satisd. cog. l. 2. ff. de fund. dot. ne, dum periculum evi-
tare desideramus, in idipsum potius incidamus *Heig. ad pr. Inst. h. tit. n. 17.* 153.
Si qvis tamen horum aliqvem fidejussorē acceperit, ipsum adprobasse
videtur, ideoq; ulterius sibi caveri, petere non potest, licet ignorantiā 154.
qvandam prætendere velit: cum qvilibet debeat habere scientiam
conditionis ejus cum qvo contrahit *l. qvi aliqvo. 19. ff. de R. J. l. 223. de* 155.
V. S. Cujac. lib. 7. Obs. c. 36. qvam si non habet, sibi imputet qvod non
diligentius in conditionem ejus inqvisiverit, cum paria sint scire vel 156.
scire debere *l. qvod te 5. junct. gloss. ff. de reb. cred. d. l. 223. de V. S. l. si Titius.*
48. in pr. D. de fidejuss. aut creditori hujusmodi sufficienter probare in-
cumbit, qvod iste fidejussor non idoneus, communi opinione habitus
fuerit pro idoneo, divite, & solvendo, ad hoc ut ipse qvi eum accepit
excusetur *Alex in d. l. 48. D. de fidejuss. & in consil 60 incip. consideratis præ-* 157.
allegat. in 1. colum. in 5. volum. arg. l. 3. in pr. ff. ad SCt. Maced. l. miles. 11. §.
mulier. 12. ff. ad l. Jul. de adult. l. Barbarius. 3 ff de Offic. Prætor. Hypp. d. tr. n. 37.
qvo casu ipsum, qvi talem fidejussorem minus idoneum, affirmaverit
esse idoneum â creditore rectè conveniri posse, tradit *Heig. ad §. fin. Inst.* 158.
de satisd. tut. vel cur. n. 35 & seq. per l. cum ostendimus. 4. in fin. ff. de fidejuss. tut.
Paris de puteo in tr. de Syndic. in verb. fidejussor. official. c. 3. n. 1. & seq.

THES.

THES. VII.

FIdejusſor non habens alia bona niſi talia qvæ non veniunt in generali obligatione, ſi fidem ſuam pro aliqvo interpoſuerit, ea ipſa qvoq́, obligare, & ut fidejusſor idoneus rectè adhiberi poteſt.

Qvi præter almam fidem nihil omnino habet in bonis, aut ſaltem talia, qvæ alienari ſunt prohibita, vel reſtitutioni obnoxia, licet non videatur dari fidejusſor idoneus, qvia contra eum ſi principalis non ſit ſolvendo, vel ratione paupertatis, vel conveniendi difficultatis,
159. nulla posſit intentari actio, ob defectum conſenſus eorum, qvorum intereſt res iſtas non alienari *l. nam is nullam. 6 ff de dol. l qvod ſi poſſeſſor. 17. ff. de pet. hered. l. videamus. 26. ff de ædil. edict. c. cum tu, extr. de Uſur.* cum tamen fidejusſor propterea obligationi accedat, ut creditori eo
160. magis debitum in tuto conſtituatur, isq́; à fidejusſore ſuum conſeqvi posſit, ſi forſan debitor facultatibus fuerit lapſus. *§. fin. Inſt. de replic.* atq́; ita fidejusſionis finem aliqvo modo ceſſare adpareat: non tamen
161. exinde ſeqvitur, qvod alienatione prohibita, ſtatim qvoq́; interdicta ſit fidejusſio. cum illa ſit actus per qvem dominiũ transfertur ſtrictè & propriè loqvendo *gloſſ. in l. in ambigua. ff. de legib. Paul. de Caſtrenſ. in l. ſcire leges. ff. eod.* hac vero interpoſita & præſtita, nulla fiat alienatio, nec dominium ullum ab initio in creditorem transferatur, non magis,
162 qvam is alienat, qvi duntaxat omittit posſesſionem *l. non alienat. ff. de R. J.* & magna inſuper differentia ſit inter communem loqvendi uſum,
163. (veræuſſern/verpfänden/ oder Bürgschafftsweiſe beſchweren) qvi tamen ſemper
164. eſt attendendus *l. librorum 52. §. ad 4. Casſius. 4. de legat. 3. Bart. in l. Labeo. ff. de ſupell. leg.* qvô facere etiam videtur, qvod in dubijs & obſcuris
165. ſemper ſecundam magis veriſimilia ſit judicandum *l. in obſcuris. 114. D. de R. J.* qvod niſi hic fieret, iſte contractus nihil omninò operaretur, contra expreſſam legumlatorum intentionem, qvi in omni diſpoſiti-
166. one ne verbum qvidem otioſum, aut ſuperfluum, ſed unum qvodlibet eorum cum miniſterio aliqvid operandi adpoſitum & intellectum volunt *Bald. in Rubr. C de contr. empt. in 9. qvæſt. Alex. in conſ. 151 [illegible]*
167. *de Marſ. d. tr. n. 194.* Sic in legato generali, qvamvis non veniant res venales *l. generali. 32. §. uxori. 2. ff. de uſufr. leg. l. pediculis. 32. §. idem c[illegible]*

qvære-

qværeretur. 4. ff. de aur. & arg. leg. Si tamen sub tali legato aliæ res includi non possint, eas etiam contineri certū est; cum dispositio testatoris ita 168.
sit interpretanda ne reddatur inutilis *l. Titio. 34. §. Lucius. 1. D. de legat. 2.*
qvod etiam de fidejussione rectè intelligit *Mantic. d. lib. 16. tit. 14. n. 37.* 169.

Thes. VIII.

QVi fidejussores constituere debet, etiam liberatur si pignora obtulerit.

Duobus enim modis, Fidejussoribus scilicet & pignoribus, credito- 170.
ribus nostris rectè caveri traditur in *l. 1. §. jubet. 9. de coll. bonor. l. ergò. 4. §. addici. 8 ff de fideicommiss. libert. &* utriq; eorum idem effectus adscribitur, ut nempè creditori res sua eò magis salva sit, nec periclitetur, si 171.
solius debitoris personæ confidat *d. l. 1. de coll. bon.* nec adversatur *l. 25. D. de R. J.* ubi qvidem plus dicitur esse cautionis in re, qvam in perso- 172.
na: illius enim legis sensus non ita est intelligendus, ac si plus cautionis illi tribueretur qvi habet actionem realem, qvam qvi habet personalem, sed saltim melius & cautius creditorem sibi prospectum habere, si rem, vel pignus apud se habeat, qvam ut contra alium agat, & dubiam litis aleam experiatur *§. unde constat. 15. Inst. de oblig. qvæ ex de-* 173.
lict. nasc. l. itaq;. 12. ff. de furt. Bart. in d. l. 25. & in l. prætoriæ. ff de prætor. stip. Cuibal. in addit. ad Decium de R. J. d. l. 25. lit. a. Et licet de jure veteri in contractibus qvidem *l. promissor. 21. §. fin. ff de const pec. d. l. 1. §. jubet au-* 174.
tem. de coll. bon. l. 2. §. pen. qvod legat. non autem æqvè in prætorijs stipulationibus, hujusmodi satisdationes per pignora fuerint admissæ *l. prætoriæ. 7 ff. de præt. stip. l. 1. in fin. ff. qui satisd. cog.* hæc tamen fuit ratio 175.
diversitatis, qvod tunc temporis prætor facilius â fidejussore debitum exigere potuerit: cum etiam ante principalem rectè convenirentur 176.
l. 3. & l. tit. C. de Fidejuss. qvam â pignoribus, qvæ non semper inveniunt emptorem, sed sæpissimè non nisi varia circumductione distrahi possunt *t. tit. ff. & C. de distr. pign. & C. de jur. dom. impetr.* Hodiè igitur, cum 177.
nec fidejussores ante excussionem ipsius principalis compelli qveant, etiam pignoribus in judicio rectè cavetur *gloss. & Dd. in d. l. 1. qui satisd.* 178.
cog. d. l. prætoriæ. de præt. stip. §. fin autem. Inst. de satisd. VVesemb. in parat. qui satisd. cog. n. 7. Dissent. *Hoen. in quæst. ad Inst. disp. 15. contr. 2. Treutl. vol. 1. disp. 5. thes. 2. lit. a. & lit. d. & vol. 2. disp. 28. thes. 2. lit. f.*

Thes. IX.

Fidejusſor ejusvè heres poſt prorogatum à creditore, illo inſcio, ſolutionis terminum, meritò liberatur.

Hæc qvæſtio utut qvotidiana & utilisſima ab omnibus ferè prædi-
179. cetur, de ea tamen variæ ſunt Dd opiniones, præſertim cum interdum
fidejuſſores qvidam, cautius alijs procedere ſoleant. Fit enim qvandoq; ut fidejuſſor ad certum tempus, pone non menſes, ſe obliget, & diſertè paciſcatur, ſe ultrà id tempus teneri nolle: creditor verò inſcio eo & abſente, vel præſente qvidem, ſed non conſentiente, terminu ſolutionis prorogationem debitori uſq; in annum concedat, vel cum ipſo conveniat, de accipiendo frumentum, vinum, aut aliqvid aliud loco pecuniæ, vel qvocunq; modo alteret obligationem principalem
180. ſine conſenſu & ſcientia fidejusſoris: Vel ſimpliciter fidejuſſor pro
aliqvo intervenit, nulla temporis conditione adjecta, & creditor ter-
181. minum ſolutionis prorogari patitur. Hic, cum priore obligationis
conſtituendæ modo fidejuſſorem multò cautius ſibi proſpexiſſe, qvam poſteriore, facilè adpareat; illo, fidejuſſorem ab obligatione ſua rectè
182. liberari autumo *per l. ſi cum Hermes. 7. C. loc. l. item qværitur. 13. §. qui impleto. 11. ff. eod. arg. l. 1. in pr. verſ. ſed ſi venditor. ff. de peric. & com. res vend.* cùm, qvod res inter alios ad certum tempus geſta alijs non conſentientibus præjudicium facere non posſit; *t. tit. C. res int. al. geſt. alijs non noc.* tùm
183. qvod facta mutatione rei, vel pretij videatur eſſe novus contractus,
cujus interventu prior tollitur obligatio *l. ubicunq; 60. ff. de fidejuſſ. l. no-*
184. *vatione 4. C. eod. arg. l. pacta conventa 72. in pr. verſ. Paulus. de contr. empt. d.*
l. ſi cum Hermes. C. locat. Poſteriore verò caſu ſi ſimpliciter pro ſolutione facienda, purè, & ſine aliqva temporis præfinitione intervenerit, circa ſolutionem factam prorogationem parum ipſi prodeſſe lubens con-
185. cedo; *Spec. tit. de fidejuſſ. §. 1. n. 19. Hypp. d. tract. n. 89. Tiraq. de retr. convent. §. 1. gloſſ. 7. n. 126. Gail. lib. 1. Obſ. 91. in fin. & lib. 2. Obs. 30. n. ult. Franc. Marc. quæſt. 539. Hartm. Hartm. in obſ. pract. tit. 29. obſ. 1. Hering d. tr. c. 20. § 11. n. 1. & ſeqq.* & hæc velut memoratu digna, & circa hanc qvæſtionem qvotidie occurrentia probè eſſe obſervanda, docet *Mynſing. cent. 6. Obſ. 63. in fin.*

THES. X.

Fidejussor ad omnia damna & interesse, qvod ex fidejussione sentit, contra principalem debitorem agere potest.

Qvia de natura hujus negotij est, fidejussorẽ conservari indemnem, 186.
& licet id expressè inter contrahentes non convenerit, huic tamen
contractui tacitè inesse dicitur *Bald. in l. Constitutionibus. 20. C. de Usuris.* 187.
c. pervenit. extr. de fidejuss. summa enim esset iniqvitas fidejussorem
remanere in damno, & dispendium pati, unde insigne videtur meruisse
præmium. Hinc qvoq; impendia mandati exeqvendi gratia facta, 188.
si modo bona fide facta fuerint, omninò sunt restituenda fidejussori,
etiamsi is qvi mandavit, si ipse negotium gereret, minus impendere
potuisset *l. si qvis. 27. §. impendia d. l. si mandatu. 45. §. si fidejussor. 6. l. si is* 189.
qui 50. §. 1. ff. mandati ita tamen, ut damna & interesse prius liqvidentur,
qvam exeqvantur *Bald. cons. 393. vol. 2. Boer. decis. 52. n. 8. Sebast. Me-* 190.
dic. de casib. fort. part. 1. qvæst. 11. n. 57. & de hoc novissimè extat constitutio
Imperatoris D. Rudolphi *18 Maij anno 1582. Viennæ promulgata,*
his verbis: Nach dem auch billich daß einem jeden gläubiger nicht allein zu sei- 191.
ner Außständigen Hauptsumma/ vnd denen verfallenen *interesse*, sondern auch den
erlittenen erbarn/ vnd billichen schäden schleunig verholffen werde: So sol hinfüro
auff den fall sich die Parthewen selbst mit einander derenthalben nicht köndten
vernehmen / vnvorzüglich durch daß ordentliche Ambt/ dahin die Parthenen vnd
sachen gehören/vorbescheiden/ die Hauptverschreibung bey dem Ambt *deponiret*,
vnd in kurtzer frist mit gebührender *liqvidation* verfahren werden: qvò etiam
pertinent sumptus & impensæ in litem per agendam factæ *d. l. si man-* 192.
datu. §. si fidejussor. l. 4. l. si contra. 20. § 1 C. mand. l. Titius. 76 ff. de procur.
nec non eæ, qvæ dum in carcere obedientiarum, vel districtu: Im
Bürgerlichem gehorsam oder Einlager/ aut etiam qvondam in obstagio per 193.
septimanas, vel menses aliqvot delituerit, & sic res suas negligendo,
impendere necesse habuit *d. c. pervenit. Extr. de fidejuss c fin. de for. compet.* 194.
Hyppol. de Mars. d tr. n 193 Hering. c. 26. n 60. qvanqvam de jure Saxon.
qvoad expensas obstagij, aliud prorsus constitutum legatur, qvæ sive
modicæ erant sive magnæ, nullo tamen modo repeti poterant.
Elect. Aug. Const. Nov. 22. part. 2. Daniel Moll. in comment. ad eand. const. n. 6. 195.

Ad po-

Ad politissimum Dn. Respondentem
C. G.

ET tua Musa *Dices* NACCI se sistit arenæ?
Nec saperdarum spicula sæva timet?
Eja age præclarum facinus! sic *juris* alumnum
Addecet & fas est! munia lætus obis,
Pulverulenta moves *Themidos* certamina pugnax.
Classica cantando gnavus ad *arma* vocas!
Gnavus ad arma vocas Collegas; neminem & ultra?
Collegas vocitas & vocitas *alios*.
Ergo sub *Eunomiæ* clypeatus qvisqvis adornas
Signo bellari, bella capesse cito:
Ejaculare tui qvodcunq; pharetra tenebit
Ingenij. Parmas expediisse juvat.
NACCIUS hostis adest, validis non nudus in armis,
Legibus armatum culta palæstra videt.
Cesset formido, nec te retro-*Murcia*-pellat,
Impiger illocum consere qvæso manus.
Sed qvid dico manus? non est res militiai
Artibus heic pugna est, *artubus* ast alibi.
Qvid cessas! lituos tremula cur excipis aure?
Pergesis hic nullum *funera nigra* manent.
Tu veró NACCI nivei candoris ocelle
Qvo jam cæpisti tramite *carpe viam*:
Non tantum fausto *procedes* alite: tandem
Hoste sed & fuso victor *abibis* ovans.
Hinc tibi vernalem *Musæ Charitesq;* corollam
Nectent atq; cedrum porriget alma *Themis*.

Sic amico integerrimo & suavissimo Sympalæstritæ suo æstate hac academica non hyematuro l. mq; ludebat

JOHANNES Möller.